Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1109
Quelle:
Copyright:

XLVI. *fol.* 80. *Incipit nouus Catho.* Nota *Catonis Dionyſii Diſticha* in rhythmos redacta videmus *Cod.* DCXIII. En ea verſibus *leoninis* vincta, et IV. *Libris* repraeſentata. Ineunt vero:

Lingua paterna ſonat, quod ei ſapientia donat.
Exâudi fili mentisque repone cubili.
Precipue cultum domini tu dilige multum.
Quam bene cultura fruitur mens crimine pura &c.

Ad calcem continenter haec memorantur:

Nullus miretur, nudum ſi carmen habetur.
Mens paupertina coniunxit carmina bina.
Hoc quicumque legit, martini muſa coegit vel *quod egit,*
Sicubi deliquit, uicium ſanare reliquit.
Sicubi laudatur, lauduno laus habeatur
De quo manauit. de quo ſe fonte rigauit.

Scholam *Laudunenſem* Sec. XI. et XII. celebrem commendat *Franciae Hiſtoria lit.* T. IX. p. 35. ejusque potiores alumnos enumerat. Nullus tamen inter eos *Martinus.* Neque alium novi, niſi *Martinum Laudunenſem* Carthuſiae *Vallis S. Petri* Priorem, cujus *Epiſtola* ad Tironem ſui ordinis de non repetendo mitiori Ordine circa an. 1180. ſcripta, primum a *Theod. Petrejo Colon.* 1607. edita, dein in T. XXVII. *Bibl. PP. Lugd.* p. 493. recepta fuit. Ad hunc igitur, quod nemo notat, etiam *Cato* noſter *leoninus* pertinere videtur.

XLVII. *fol.* 86. Carmen de Morte, Reſurrectione, et Inferno, verſuum 168. quod ita inchoat:

Dic homo, poſt hominem quid fies non homo factus?
Poſt hominem uermis. quid poſt uermem niſi puluis.
Dic ergo uermis. puluis dic. unde ſuperbis? &c.

Et finit: *Uitam*

Quam dare dignetur. qui trinus et unus habetur
Nobis cunctorum rex et dominus dominorum.
Gloria maieſtas cui laus honor atque poteſtas.

XLVIII. *fol.* 89. *De iacob et eſau.* Verſus 19. neque enim vigeſimus:

Vivas et ualeas. et cras tua lumina perdas,